

tionem Festi occurrentis (si adsit aliquod) & Dominicæ. Vesperæ dicuntur de Officio occurrente cum Commemoratione S. Patroni seu Titularis ante omnes alias commemoraciones.

DIE XI. DECEMBRIS.

In Festo S. Francisci Xaverii, lectiones

I. Nocturni sumuntur de libro Ecclesiastici, Beatus vir, ut in Communi Conf. non Pont. 2º loco,

DIE VII. DECEMBRIS.

Ad I. Vesp. Conceptionis B. V. M. nulla fit commemor. S. Ambrosii.

QUÆDAM EXCERPTA E DECRETIS SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS.

1. Genuflectendum est semper ab omnibus transeuntibus ante SS. Sacramentum, etiam dum fiunt Processiones per Ecclesiam, & contraria consuetudo declaratur abusiva. — 14 Decemb. 1602.

2. Decretum de die 11 Junii 1605, quod cæremonialis liber non tollat laudabiles & immemorabiles consuetudines, habet locum in omnibus regnis & locis Christianitatis. — 17 Junii 1606.

3. Cæremoniæ novæ non inducendæ, nec antiquæ immutandæ, absque expressa licentia, quam dare debet S. R. C. — 12 Maii 1612.

4. In primis Vesperis communibus diei Octavæ & Dominicæ privilegiatæ, Vesperæ debent recitari cum Psalmis Sabbati, & à Capitulo de Dominicâ privilegiatâ, addendo in fine commemorationem diei Octavæ. — 9 Nov. 1622.

5. Si Festum SS. Apostolorum Philippi & Jacobi, vel Inventionis S. Crucis, aut S. Joannis ante Portam Latinam, occurrerit infra Octavam Ascensionis, Præfatio in Missa erit de Apostolis vel de Cruce, sed Communicantes, de Ascensione. — 18 Augusti 1627.

6. In diebus quibus non potest fieri de Festo duplici, prohibentur Missæ Votivæ, & de Requiem. — 28 Augusti 1627.

7. In nocte Nativitatis Domini, post cantatam primam Missam, nullo modo possunt aliæ duæ immediate celebrari. — 20 Aprilis 1641.

8. In Missis Ferialibus quæ contingunt à Dominicâ Passionis ad Feriam V. Cænæ Domini, si faciendâ obveniat Commemoratio de Simplici, omittenda est tertio oratio, quæ pro secundâ assignatur in Missali, nempe pro Ecclesiâ, vel pro Papâ. 22 Nov. 1659. Idem observandum est infra Octavas Paschæ et Pentecostes.

9. Symbolum in Missa solemnî potest decantari in illâ Ecclesiâ, ubi est Altare erectum sub invocatione alicujus Sancti, ratione concursus, ad præscriptum Rubricarum, licet de eo fiat Officium sub Ritu semiduplici, ut pro Festo S. Antonii de Padua declaravit S. R. C. — 1 Aprilis 1661.

10. In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Sacrificia possunt à Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. — 4 Augusti 1663.

11. Si Festum simplex occurrit eo die, quo fit de Festo duplici, infra Octavam Corporis Christi, tunc legitur 9 lectio de eodem Festo simplici. — 12 Septemb. 1671.